

diatoribus cessit. Parum hoc, si non etiam proditorem suum secum habu-
it, nec constanter denotauit. Cum uero traditur, cum adducitur, ut pecus ad
uictimam, sic enim non magis aperit os, quæ agnus sub tondentis potesta-
te. Ille, cui legiones angelorum, si uoluisset, uno dicto de cælis adfuis-
sent: ne unius quidem educentis gladium ultorem probauit. Patientia domini
in Malcho uulnerata est. Itaque & gladij opera maledixit in posterum, & sa-
nitatis restitutione ei, quem non ipse uexauerat, satisfecit. Proh patientiam,
misericordiae matrem: Taceo quod figitur, in hoc enim uenerat. Nunquid
tamen subeundæ morti etiam contumelijs opus fuerat? Sed saginari uo-
luptate patientiæ discessurus uolebat. Despuitur, uerberatur, deridetur, scæ-
dis uestitur, scædioribus coronatur. Mira æquanimitatis fides. Qui in homi-
nis figura proposuerat latere, nihil de impatientia hominis imitatus est.
Hinc uel maxime pharisæi dominum agnoscere debuistis: patientiam hu-
iusmodi nemo hominum perpetraret. Talia tantaque documenta, quorum
magnitudo penes nationes quidem detrectatio fidei est, penes nos uero ra-
tio & instructio, satis aperte non sermonibus modo in præcipièdo, sed etiã
passionibus domini sustinèdo, probant, his, quibus credere datum est, pa-
tientiam dei esse naturam effectam, & præstantiam ingenitæ cuiusdã pro-
prietatis. Igitur si probos quosque seruos, & bonæ mētis pro ingenio domi-
nico conuersari uidemus (siquidem artificium promerendi obsequium est: ob-
sequij uero disciplina, morigera subiectio est) quanto magis nos secū dum
moratos inueniri oportet? Seruos scilicet dei uiui, cuius iudiciū in suos, nō
in compede, aut pileo uertitur, sed in æternitate, aut pœnæ, aut salutis. Cui
seueritati declinandæ, uel liberalitati inuitandæ, tanta obsequij diligentia
opus est, quanta sunt ipsa, quæ aut seueritas cōminatur, aut liberalitas pol-
licetur. Et tamen nos non de hominibus modo seruitute subnixis, uel quo-
libet alio iure debitoribus obsequij, uerum etiam de pecudibus, etiam de
bestijs obedientiam exprimimus, intelligētes usibus nostris eas à domino
prouisas traditasque. Meliora ergo nobis erunt in obsequij disciplina, quæ
nobis deus subdit? Agnoscunt denique quæ obediunt, nos. Cui soli subditi
sumus, domino scilicet auscultare dubitamus? At quæ iniustum est, quæ etiam
ingratum, quod per alterius indulgētiam de alijs consequaris, idem illi per
quem consequeris, de temetipso non rependere. Nec pluribus de obsequij
exhibitione debita, à nobis domino deo. Satis enim agnitio dei quid sibi
incumbat, intelligit. Ne tamen ut extraneum de obsequio uideamur inter-
iecisse, ipsum quoque obsequium de patientia trahitur. Nunquam impatiēs ob-
sequitur, aut patiens quis non oblectatur. Quam ergo dominus omnium bo-
norum & demonstrator & acceptor, deus in semetipso circumtulit, quis de
bono eius late retractet? cui item dubium sit omne bonum, quia ad de-
um pertineat, pertinentibus ad deum tota mente sectandum: per quæ in
expedito & quasi in præscriptionis compendio & commendatio & exhor-

Discere gladium

† Hirsaug. codex ha-
bet discentis, & sic
est legendū, ut discē-
tis uocabulo discipu-
lū intelligas, uideli-
cet Petrū. Nā alibi
quoque Tert. hęc uo-
cē sic usurpat.

† al's instructio.

Patentia

*animantia nobis
obediunt*

*Vehermenter commendat
patientiam*

a z tatio de